DEO OPT. MAX. FORTUNANTE.

Ex

ANTIQVITATE MARTYROLOGICA

DISSERTATIO ACADEMICA,

Qvam

IN ILLUSTRI FRIDERICIANA

PRAESES

M. MARTINUS LUBATH,

ET

RESPONDENS

CHRISTOPHORUS SCHULTZE,


BEROLINENSES MARCHICI,

PUBLICAE DISQVISITIONI SUBMITTUNT.

AD D. AUGUST. A. O. R. M. DC. XCIII.

HALAE MAGDEBURGICAE

Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT. BRANDENB. Typ.



Q. D. B. V.

QVi obortis in primitiva Ecclesia tempestatibus pro Doctrina Veritatis & Gloria Christi ad sangvinem usqve decertarunt, atqve Illius in honorem, qvem coram Tyrannis, qvolibet tormentorum Genere affecti, palam sunt confessi, fideiqve suæ professionem morte tandem, tanqvam annulo, obsignarunt, Martyrum nomine proprie veniunt. AUGUSTIN. *contra Faust. Lib. XXII. Cap. LXXVI.* ISIDORUS *Lib. VII. Origin. Cap. XI.* AMMIAN. MARCELLIN *lib XXII. & XXVII.* EUSEB. *H. E. Lib. V. Cap. 11.* Et qvamvis apud nonnullos Scriptores Martyrum nomina ac Confessorum crebro permutata & pro iisdem habita videamus: tamen recepto Martyrologiorum more & constanti Usu discrimen inter

illos recte observatur. Omnes eqvidem Martyres fuerunt Confessores, sed Confessores nondum Martyres, verum DESIGNATI & CANDIDATI Martyrii, ut antiqvæ & reconditæ doctrinæ Scriptor ac Latinorum Theologorum multo omnium Doctissimus & Antiqvissimus eleganter admodum eos vocat *Libr. ad Martyr. Cap. I.* Impendio namqve sangvinis Gloria Martyrum paratur, nec sine cruore Martyrium est, qvare Sanctissimus Carthaginensium Præsul *Martyribus* de Rosis *Purpuream*, *Confessoribus* verò de Liliis *Candidam* vendicat *Coronam*, *Ecclesiamq́ in Martyrum Cruore esse Purpuream* scribit *Epist. VIII. ad Martyr. & Confessor.* Hinc ad locum SULPITII SEVERI, qvi ob tersam & elegantem Romani Sermonis dictionem CHRISTIANUS SALLUSTIUS *Cl.* BARTHIO audit *Lib.* XII. *Adv. Cap.* XIIX. *Lib.* XLIX. *Cap.* IV. B. Martinum, Episcopum Turonensem, Martyrem fuisse & sine cruore implevisse Martyrium, existimantis *in Epist. ad Aurel. Diacon. de Obitu Martini p. m.* 532. *Celeberr.* SCHURTZFLEISCHIUS animadvertit: *Sed qvia Martyrum ætas ferro transa-*

cta

ſta eſt, indulgemus Sulpitio figuram conſectanti, laxiusq; loqventi. Nam qvi ſangvine effuſo non tulit hanc palmam, Martyr dici non poteſt, niſi efficere velis, ut Martyrem ſine nota conſideremus. In Ecclog. Martyrolog. §. III.

Atqve Strenuos hos Chriſti Milites & Athletas fortiſſimos gradibus qvibusdam diſtingvere conſvevit Veneranda Antiqvitas. Nam ut B. Stephanum elogio πρωτομάρτυρος mactavit, qvod inter mulieres nacta eſt B. Thecla: ita alios vocavit ἱερομάρτυρας, alios μεγαλομάρτυρας; alios nominavit καλλιμάρτυρας, alios deniqve ἁγιομάρτυρας, qvorum omnium Ducem & Imperatorem Summum Chriſtum Dominum Μέγαν τὸν Μάρτυρα conſtituit. MONTACUTIUS *de Originib. Eccleſ. Tom. I. fol. 261.* JOSVA ARND *in Lexic. Antiqvit. Eccleſ. p. m. 607.* CASP. SAGITTARIUS *de Cruciatib. Martyr. C. I.* §. XV. *p. m. 7.* ALSTEDIUS, *Paratitl. Theolog. p. m 269.* Proinde Zelotes tam præclaros ob fidei Magnitudinem vitæqve ſanctitatem ſuſpicere decet, illorumqve ἀνδραγαθήματα, cum tam glorioſis mortibus tot ſubierint Martyria, mente pia conſiderare, nec perfunctione intueri, verum æmulari, qvo


 &

& nos, si tempus ferat ac necessitas efflagitet, nulla suppliciorum aut tormentorum genera pro Veritate & Gloria Dei subeunda detrectemus aut subterfugiamus, sed Glorioso pariter certamine Veritatis & fidei Exemplum præbeamus. Eò tot Patrum loca collimant, qvorum nonnulla adscribere, multis aliis missis, haut inutile fore arbitramur. *Martyrum*, inqvit, DAMASCENUS, *considerantes conversationem, æmulemur fidem, dilectionem, spem, fervorem, vitam, tolerantiam, afflictionum Patientiam, ad Sangvinis usqve profusionem, ut & Gloriæ Coronarum cum illis participes fiamus*, *Lib. IV. de Orthodox. fide Cap. XVI.* Idem docet BASILIUS M. *Commemoremus Martyrum in Pietate ad mortem usq; constantiam, ut ad similem Zelum excitemur. Tom. II. Oper. Lib. Regular. per Qvæstion. & Respons. Tractat. Qvæst.* XL. *fol. 483.* Nec non AMBROSIUS: *Ad consortium Martyrum si pervenire volumus, de imitatione cogitemus*, *Sermon.* XVII. *de B. Laurentio fol. 150.*

Hæc

Hæc ansam nobis dederunt præsentem conscribendi dissertationem, qvâ Sanctorum qvorundam Primævæ Ecclesiæ Præsulum cruenta Martyria evolvere constituimus. Non est animus integras Tantorum Heroum contexere Vitas, (licet res Scriptione foret dignissima; verum de illorum Ultimis brevissimas saltem ducere lineas, viamqve ad ulteriorem pandere indaginem. Sin autem minus argumenti nostri, qvod pertractare suscepimus, in omnibus satisfecerimus dignitati, illius gravitas nos excusabit, partesqe nostras LYRICORUM PHOENIX ex *Epistolar. Lib. I. Epist. I.* tuebitur,

Est qvodam prodire tenus, si non datur ultra.



CAP. I.

CAP. I.

De

MARTYRIO IGNATII AC POLYCARPI.

§. I.

DIvus IGNATIUS Discipulus Johannis Theologi dicitur atqve Ecclesiæ Antiochenæ Episcopus, qvam per aliqvot annorum decursum insigni pro Gloria Dei Zelo & fidei constantia gubernavit. EUSEB. *H. E. L. III. Cap. XXII.* HIERONYM. *de Scriptorib. Ecclesiast. Cap. XVI.* CHEMNIT. *de Lect. Patr. p. m. 2.* Qvantis vero virtutibus ac donis fuerit conspicuus S. Pater, haut difficili negotio inde colligere licet, qvod ipsi Apostoli dignum judicarint, qvi ad sedis Antiochenæ Episcopatum eveheretur, *Chrysostom. Homil. in S. Ignat. T. I. Oper. p. 499.* imo διὰ τῆς τῦ μεγάλυ πέτρυ δεξιᾶς, teste THEORETO, hanc Provinciam susceperit *Dialog. I. p. 33.*

§. II. Qvæ NICEPHORUS *L. II. C. XXXV.* consignavit, Ignatium Eum esse, qvem tenellum adhuc Dominus inter discipulos medium statuit, Matth. XIIX. 2. incertæ & dubiæ sunt autoritatis, ideoqve ob defectum testium, qvi hæc affirment, fi-

fides deficit. CENTURIATOR. *Cent. II. Cap. X. p. m.* *127.* Exinde tamen cognomen θεοφόρου Ignatium, multi volunt, reportasse THOM. POPE-BLOUNT *Censur. celebrior. Autor. p m. 96.* qvi pariter antiqvitatis testimonio destituuntur. Alias de Solo Ignatii Natali Ejusqve Parentibus nulla vestigia in Antiqvissimis extant monumentis.

§. III. De Epistolis Ejus, qvas nobis MARGARINUS de la BIGNE *Tom. III. Biblioth. Patr. p. 3. ss.* exhibet, & qvarum COD. MSC. in Augustana ac Florentina Bibliothecis asservari scribit SPIZELIUS *Arcan. Biblioth. retect. p. m. 8. 86.* multum inter Viros summos solet disceptari. Nullum eqvidem dubium qvin Epistolas scripserit S. Pater, sed an omnes, qvotqvot hodie circumferuntur, eundem agnoscant Autorem, in controversiam venit. Sunt qvi illas septem pro genuinis saltem Ignatii Epistolis habent, qvarum HIERONYMUS diversis in locis cum EUSEBIO *Lib. III. H. E. Cap XXXVI.* mentionem facit: alii contra omnes in Universum Ignatio attribuunt. Utraqve pars non ficulneis instructa argumentis graves opinionis suæ profert rationes. Verum hanc litem Doctiorum judicio relinqvimus dirimendam. Nobis ad illorum placet accedere sententiam, qvi illas Epistolas, qvas HIERONYMUS & EUSEBIUS ci-

 tant,

tant, Ignatio tantum vendicant; nec pro certo tamen affirmare audent, annon illæ ipsæ etiam qvadantenus sint interpolatæ. DORSCH. *Missar. Miss. p. m. 249.* DANHAUER. *Christeid. p. m. 283. 290.* BEBEL. *Antiqvit. trisecul. p. m. 2. ss.* EPHEMERID. ERUDIT. *Part. II. p. 447.* RIVETUS *Critic. Sacr. L. I. C.* I. II. III. *p. m. 175. ss.* COCUS *Censur. Scriptor. Veter p. m 109. ss.* SCULTETUS *Medulla Patr. Part. I. L. XI. C.* I. *p. m. 399.* ELLIES DU PIN *Nov. Biblioth. Auctor Ecclesiast. Tom. I. p. m. 58.* CAVEI *Histor. Literar. p. m. 29.*

§. IV. In persecutione Tertia sub Imperatore Ulpio Trajano A. C. circiter CIX. vitam Martyrio finiit. Nam qvod Idolis sacrificare nollet, Cultuq; Divino eadem proseqvi detrectaret, sed illam redargueret superstitionem, â Trajano cum manipulo pessimorum militum Romam missus, ut laniatu bestiarum interiret. EUSEB. *in Chronic. ad A. X. Trajani.* BUCHOLC. *Ind. Chronol. p. m. 154.* FRECULF. *Chron.* T. *II. L. II. C. XI.* CENTURIAT. *Centur. II. C. X. p. m. 129.* GREGOR. TURONENS. *Histor. Francor. L. I. C.* XXVII. Antiochia verò cur Romam ad supplicium fuerit deductus D. Ignatius, pleriqve ideò factum existimant, ne ex cæde Ejus motus qvidam Antiochiæ ori-

orirentur. KORTHOLT. *de Persecut. primævæ Eccles. Cap. III. §. XVI p. m. 88.*

§. V. Qvanta in tam longo itineris tractu perpessus mala, qvantoqve habitus fuerit ludibrio ab Ethnicis militibus, ex nullis melius voluminibus, qvam ipsis Ignatii verbis cognoscitur. Ita enim in *Epistola ad Romanos* fertur scripsisse: *A Syria Romam usq; bestiis depugno, per mare, per terras, noctes atq; dies, colligatus decem Leopardis, i. e. manipulo militum: qvi beneficiis à me affecti, sæviores fiunt. Verum ego injuriis qvidem illorum erudior: non idcirco tamen justificatus sum.* Nihilominus tamen singularum Civitatum, qvas occasione tam molesti itineris ingressus, Ecclesias Heroico spiritu ac divino Zelo, qvô pro conservanda puritate Evangelica flagrabat, admonuit, ut traditionibus Apostolorum tenaciter inhærerent, sibiqve â pravis hæreticorum opinionibus caverent. EUSEB. *L. III. H. E. Cap.* XXXVI. Tales igitur fragrantias inter vincula & Leopardos, ceu spinas, Odorifera hæc Rosa, de se sparsit, ex cujus odore Spiritus receperunt, qvi animam agere videbantur,

§. VI. Tandem Romam ubi pervenit, ab hostibus in Amphitheatro coram multitudine hominum Leonibus objiciendus sistebatur. Tum voti sui, qvô tam anxiè expectaverat Martyrium, compos qvidem redditus S. Pater: qvanta verò animi magnitudine illud ipsum subierit, verbis exprimi neqvit. Conf. POLYCARP. *in Epist. ad Philipp.* ORIGIN. *in Evang. S.Luc. Homil.* VI. ATHANAS. *Epist. ad Epictet.* Consideremus ipsius Martyris verba, qvæ EUSEBIUS *H. E. L. III. C. XXXVI.* recenset, & stupenda animos nostros subibit admiratio. *Utinam*, inqvit, *fruar bestiis illis, qvæ mihi paratæ sunt. Qvas eqvidem opto ut qvamprimum inveniam. Palpaturus sum eas, ut me celeriter devorent, nec metu absterritæ mihi parcant, qvemadmodum aliqvibus pepercerunt. Qvodsi fortè recusabunt, ego eas vi adigam. Veniam mihi date. Novi qvidnam mihi conducat. Nunc tandem incipio esse Christi Discipulus. Nulla res, tam earum, qvæ aspectabiles sunt, qvam earum, qvæ sub Oculos non cadunt, animum*

meum

meum capiat, ut Jesu Christo possim potiri. Ignis, crux, bestiarum impetus, ossium distractio, confractio membrorum, ac totius Corporis contusio, diaboli denique supplicia in me Unum incursent, dummodo Christo mihi frui liceat. Et cum jam projectus bestias audiret rugientes, ardore patiendi ait: *Viri Romani, qvi hoc certamen spectatis, non sine causa laboravi, qvia non propter pravitatem hæc patior, sed propter pietatem: Frummentum Christi sum, dentibus bestiarum molor, ut panis Dei mundus inveniar.* HIERONYM. *de Scriptorib. Eccles. Cap. XVI.* IRENÆUS *adv. hæres. L. V. Cap.* XXVIII. CASAUB. *Exercit.* XVI. *num. CL.*

§. VII. Sed hæc ultima Ignatii verba, ab Hieronymo dato loco adducta, minime accipi posse existimat CL. KORTHOLT. *de Persecut. prim. Eccles. Cap.* III. §. XV. *p m. 88.* qvasi Romæ â Sancto Martyre bestiis jamjam objiciendo essent prolata: siqvidem ex Ignatiana ad Romanos Epistola sint petita. Verum id procul dubio iisdem HIERONY-

NYMUM voluisse saltem indicare, tanto Ignatium arsisse Martyrii amore & desiderio, ut jam tum sævo Leonum rugitu Ipsius, licet adhuc absentis, aures qvasi personuerint.

§. VIII. Famelici igitur Leones in Corpus Ignatianum incidentes, præter ossa nonnulla solidiora ac validiora, illud devorarunt, ceu Vetustissima illius Martyrii Acta expresse confirmant. GALLONIUS *de Cruciat. Martyr. Cap. Ultim. p. m. 437.* SAGITTARIUS, *de Crucit. Martyr. Cap. IX. §. XVI. p. m. 96* NICEPHOR. *L.* III. *C. XIX.* Venerabilis autem BEDA *in Martyrolog. ad* VIII. *Calend. Decembr.* & ADO VIENNENSIS *Libr. de festivitatib. Apostolor. & Apostolicor. Viror.* Leones tantummodo EUM præfocasse, ossa autem Illius reliqvisse intacta scribunt. Pro priori tamen Sententia pugnat Antiqvitas.

§. IX. Reliqvias Sancti Martyris ab Urbe Roma Antiochiam transportatas extra portam Daphniticam esse positas, in qva celebritate S. Chrysostomus concionem ad populum habuerit, MARTYROLOGIUM tradit ROMANUM *ad D.* XVII. *Decembr.* HIERONYM. *de Scriptorib. Eccles. Cap.* XVI. Dein vero, Tempore Theodosii Junioris, in ipsam Civitatem Antiochiam delata esse Ignatii Ossa, atqve in Templo Fortunæ recondita ex Johan-

hanne Rhetore refert EVAGRIUS *Lib. I. H. E. Cap.* XVI. NICEPHOR. *L.* XIV. *Cap.* XLIV.

§. X. Et cum à non nullis memoriæ proditum sit, Ignatium sæpius dicere consvevisse, AMOR MEUS CRUCIFIXUS, VINCENTIUS BELLOVACENSIS cordi Illius aureis literis nomen JESU inscriptum fuisse, asserit. Ita qvippe *Lib. X. Specul. Histor. Cap.* LVII. scribit: IGNATII *Cor cum minutatim divisum esset, nomen Domini* JESU CHRISTI, *literis aureis, ut legitur, in singulis partibus inventum est: Dixerat enim se habere* CHRISTUM *in corde.* Eadem apud THOM. a KEMPIS *Meditat. Lib.* I. *de Incarnat. num.* XXIIX & BAPTIST. MANTUANUM *Lib.* II. *Sacror. dier.* habentur. Verum, cum ista fabulis videantur similiora, qvam veritati, nec habeant Veteres aut probatos testes; judicium penes Lectorem esto. CENTURIATORES *Cent. II. C. X. p. m.* 130.

§. XI. Illud tamen notatu dignum qvod SOCRATES alterni cantus originem seu morem Antiphonorum B. Martyri attribuat. Nam *Lib. VI. H. E. Cap.* VIII. Ignatium, in qvadam visione Angelos S. S. Trinitatem hymnis alterna vice decantantis collaudentes audivisse, atqve ad illorum imitatio-

nem

nem in Conversationibus sacris hunc modum laudandi Deum constituisse, annotavit. Sed de his BOEMUS, DURANDUS, GAVANTUS, CASALIUS aliiqve sacrorum Rituum V. E. & Antiqvitatum S. consulendi veniunt Scriptores.

§. XII. Ad cruentam POLYCARPI mortem jam progredimur, qvi itidem Auditor fuit Johannis Theologi & B. Ignatii condiscipulus, cui etiam Ignatius Romam ad Martyrium proficiscens, Gregem Ecclesiæ Antiochenæ commendarat, rogans, ut omni cura & Studio illum foveret. EUSEB. *H. E. Lib.* III. *Cap.* XXXVI. DRESSER. *Isagog. Hist. Millen. V. p. m.* 75. HEIDMANN. *Compend. Histor. Part.* II. *Lib. IV. p. m.* 172. Eundem à Præceptore suo Johanne Evangelista Ecclesiæ Smyrnensis constitutum volunt Episcopum: HIERONYM. *de Scriptor. Eccles. Cap.* XVII. DU PIN *Biblioth Scriptor. Eccles. Tom.* I. *p. m.* 76. SPANHEM. *Introduct. ad Histor. Sacr. T.* I. *p. m.* 235. Sed EUSEBIUS ex IRENÆO ab Ipsis Apostolicis ordinatum scribit, *Lib* IV. *H. E. Cap.* XIV. Ita vero IRENÆUS *Lib.* III. *advers. Hæretic. Cap. III. Polycarpus non solum ab Apostolis edoctus, & cum multis, qvi Dominum viderunt, conversatus, verum etiam*

iam in Asia Smyrnensi Ecclesiæ ab Ipsis Apostolis ordinatus est Episcopus.

§. XIII. Peculiari Epistola ad Philomelienses S. Polycarpi Martyrium accurate descripsit Ecclesia Smyrnensis, (unde Martyrologia suam invenisse originem, ex aliorum observationibus MATTHIAS FRIEDER. BECKIUS in suo *Martyrologio Germaniæ pervetusto* non ita pridem edito scribit *Cap. I. § II. p.m. 3.*) cujus Epistolæ maximam partem EUSEBIUS *Lib. IV. H. E. Cap. XV.* exhibet, reliqva vero, qvæ prætermissa sunt, in Notis Eusebianis HEINRICUS VALESIUS *p.m. 68.* ex Editione Anglicana JACOBI USSERII supplevit. Nam Celeberrimus ille Præsul Armachanus integram Smyrnæorum Epistolam ex Cod. Barrociano una cum antiqvo Interprete Latino ex Ecclesiæ Sarisburiensis Codice MSC. Appendici suæ Ignatianæ septimo & qvadragesimo præsentis seculi Anno adjecit. Ut autem hæ literæ multa notatu continent dignissima, ita Studiosæ Uniuscujus lectioni merito commendandæ. *Qvorum lectione Piorum animus ita afficitur, Summus* inqvit SCALIGER, *ut nunqvam satur inde recedat. Qvod qvidem ita esse unusqvisq; pro*

captu suo & conscientiæ modo sentire potest. Certe ego nihil unqvam in Historia Ecclesiastica vidi, à cujus lectione commotior recedam, ut non amplius meus esse videar. *Animadv. Euseb. Num.* MMCLXXXIII.

§. XIV. Centenario, ut creditur, major Regnante M. A. Antonino Philosopho, A. C. CLXVII. vel juxta alios CLXIX. sub qvo qvinta in Christianos persecutio agitata, Martyrii Coronam Smyrnæ adeptus est Venerandus ibidem Ecclesiæ Episcopus. SULPITIUS SEVERUS *H. E. L. II. C. XLVI.* & HORNIUS *in Not. p. m. 403.* ALSTED. *Thes. Chronol. p. m. 332.* HAIMO *L. V. Cap. XX.* GREGOR. TURONENS. *Histor. Francor. Lib. I. Cap. XXVIII.* Hinc gravem commisit errorem SOCRATES sub Imperatore Gordiano Polycarpum esse passum asserens *Lib. V. H. E. Cap. XXI.* qvi tamen Imperator integro seculo post regnare primum cœpit qvam Polycarpus fato concessit.

§. XV. Nam cum Smyrnæ, in Jonia Asiæ minoris acriter adversus Christianos sæviretur, Polycarpus qvoqve ad mortem est qvæsitus. Qvi primò precibus amicorum victus, non procul ab Urbe in villam qvandam se contulit, & ibi cum pau-

cis

cis qvos secum habebat, commoratus, noctes atqve dies pro tranqvillo Ecclesiæ Statu, ardentes ad Deum preces, more alias consveto, fudit. Triduo ante vero qvam caperetur, per qvietem Cervical suum flamma accensum derepente consumi vidit, indeqve pro fidei Christianæ veritate igni se absumtum iri prædixit. Qvia vero omni Studio illum perqvirerent, amore fratrum compulsus in aliam villam denuo secessit. Neqve multo post, qvi ipsum inseqvebantur, eò devenerunt & â puero qvodam ad diversorium Polycarpi sunt deducti. Qvi licet illinc, de hostium adventu certior factus, in aliam domum se facillime conferre potuisset, tamen noluit, sed dixit: *Fiat voluntas Domini.* Mox adventantes comiter excepit, mensam iis actutum apponi jussit, utqve cibum caperent est hortatus: sibi vero Unius saltem horæ spatium, qvo preces Deo offerret, postulavit. Qvod cum ab illis impetrasset consurgens orare cœpit, in tantum divina repletus gratia, ut obstupescerent omnes qvi aderant, precantem illum auscultantes: multiqve eorum tam venerabilem ac divinum Senem jam jam interficiendum vehementer dolerent. Postqvam orandi finem fecerat, totamqve Ecclesiam per Universum orbem dispersam calidissimis votis Deo

commendaverat, satellites Asino Eum imponentes in Civitatem deduxerunt. EUSEB. *H. E. Lib. IV. Cap. XV.*

§. XVI. Ingressus autem stadium cum multis aliis cœlitus audivit hanc vocem: Ἴσχυε, Πολύκαρπε, καὶ ἀνδρίζου: *Fortis esto, Polycarpe, & viriliter age!* Qvod cœleste effatum adeo confirmavit Martyrem, ut forti pectore pertulerit, qvæ hostes tentarent, & imperterrito animo expectarit, qvæ minarentur. Hinc nec Herodes Irenarcha (horum munus erat seditiosos homines & pacis publicæ turbatores comprehendere & ad Judicum tribunalia pertrahere. AUGUSTIN. *Epist. CXL. & CLIX.*) & Pater ejus Nicetas coma persvasione ipsum ad sacrificandum cultumqve divinum Cæsari exhibendum allicere potuerunt: nec Asiæ Pro-Consul Statius Qvadratus dulcioribus verbis illi persvadere valebat, ut grandævæ suæ ætatis velit habere rationem & Sacramento fidem abnegare, CHRISTOq; dicere convitia; hæc si faceret, saluti suæ consuleret. Verum illis gravi vultu: *Nunqvam id faciam qvod svadetis:* huic autem erecta fronte respondit: *Sex & octoginta continuos annos EI ministravi nec ulla me un-*

unqvam affecit injuria: & qvomodo possum impie loqvi adversus Regem meum auctoremq́ salutis meæ? CENTURIATORES *Cent. II. Cap. III. p. m. 26.* Qvos LXXXVI. annos non de Ministeriis nec totius vitæ, sed rectius de iis annis, qvibus Christum professus inde â Baptismo suo, intelligi debere censet SPANHEIMIUS *Introduct. ad Histor. Sacr. Nov. Testam. Tom. I. p. m. 235.*

§. XVII. Adhæc Pro-Consul, se nihil dulcioribus verbis effecturum, videns, iracundus in eum invehebatur: *Jura per Genium Cæsaris. Persvade populo. Muta sententiam tuam: sin minus, Bestiæ præsto sunt, qvibus Te objiciam. Has qvando spernis, faxo ut incendio domeris.* Sed nec his minis â tramite Veritatis abduci poterat S. Polycarpus, qvippe qvi tanta animi magnitudine ad omnia respondit, ut cum stupore conjuncta admiratio ipsius Pro-Consulis animum occuparet. *Ambitiose contendis, ut ego per genium, qvem vocas, Cæsaris jurem, simulans te ignorare, qvis sim, audi libere profitentem. Chri-*

ſtianus ſum. Qvod ſi Chriſtiani cultus rationem cupis agnoſcere, da mihi diei ſpatium, & audies. Tibi qvidem rationem reddere non me piget. Præceptum enim nobis eſt, ut Magiſtratibus & poteſtatibus à Deo conſtitutis honorem debitum exhibeamus, qvi nobis ipſis nihil noceat. Illos verò parum dignos cenſeo qvibus fidei noſtræ rationem reddam. Beſtias, qvas præſto eſſe dicis, accerſe. Neqve enim nobis à melioribus ad deteriora mutabilis mens eſt. Ignem minaris qvi ad horæ ſpatium ardet, ſtatimq́ extinqvitur. Ignoras ſcilicet illum futuri judicii æternæqve damnationis ignem, qvi impiorum ſupplicio reſervatur. Sed qvid ceſſas? Profer qvodcunqve volueris. EUSEBIUS *H. E. L. IV. Cap. XV.*

§. XVIII. His ita geſtis Statius Qvadratus per Præconem (moris namqve erat præcone cauſam con-

condemnationis dicente de damnatis pœnas exigi) in medio Stadio ter proclamari jussit: *Polycarpus se Christianum esse professus est.* Qva præconis voce audita Universa Gentilium & Judæorum, qvi Smyrnam incolebant, multitudo ingenti strepitu & magno impetu exclamavit; *Hic est Doctor Asiæ & Pater Christianorum: eversor Numinum nostrorum: qvi multis præcipit ne sacrificent, neve Deos immortales adorent!* statimqve Philippum Asiarchum rogarunt ut Leonem adversus Polycarpum emitteret. At ille negavit id sibi licere, qvippe Amphitheatrale spectaculum jam edidisset. Tunc omnes Uno consensu petierunt, ut Polycarpus vivus combureretur. Atqve ita dicto citius, Judæis præcipuè operam suam in id conferentibus, ex congestis undiqve lignis atqve Sarmentis rogus est extructus. ECCLES. SMYRNENS. apud Euseb. loco sæpius citato.

§. XIX. Tunc S. Polycarpus deposita veste ac soluto cingulo calceos exuit: qvod qvidem antea facere minime consveverat. Qvippe singuli fidelium qvotidie ambitione qvadam inter se decertabant, qvisnam primum vestem ipsi exueret.

Tan-

Tanto ſemper amore ob ſanctitatem vitæ & venerandam canitiem Ipſum omnes ſunt proſeqvuti. EUSEB. *L. IV. H. E. Cap. XV.* Huc referre placet Exemplum ſimile de Fructuoſo, Tarraconenſi Epiſcopo, qvi jam jam paſſurus, ſe pariter diſcalceaſſe ſcribitur. Nam apud BARONUM legimus: *Cum Fructuoſus ad Amphitheatrum perveniſſet, ſtatim ad eum acceſſit Auguſtalis nomine, Lector ejusdem, flens, & deprecans, ut Eum diſcalcearet.* Cui B. Martyr reſpondit: *Miſſum fac, Fili; ego me diſcalceo fortis & gaudens. Ad A. C. CCLXII. n. LXVI.* PRUDENTIUS *hymno περὶ στεφ. X. 73.*

§. XX. Tandem inſtrumenta corpori illius fuere circumjecta, qvibus in rogo firmus teneretur. Cumqve clavis Eum inſuper affigere vellent, dixit. *Sinite me. Qvi enim mihi vires dat ad ignis ſupplicium fortiter ſuſtinendum, idem dabit ut immotus rogo inſiſtam.* Proinde vinculis duntaxat Eum adſtrinxerunt. Manus igitur poſt tergum connectens & ad palum alligatus has ardentiſſimas ad Deum Preces fudit: *Pater Unigeniti & Benedicti filii Tui Jeſu Chriſti, per qvem Tui notitiam*

ac-

accepimus; Deus Angelorum & Potestatum, & Universæ Creaturæ, omniumq; justorum, qvi vivunt in conspectu Tuo: benedico Te, qvi me in hunc diem & ad horam hanc perducere dignatus es; ut partem caperem in consortio Martyrum, & in calice Christi Tui, in resurrectionem vitæ æternæ, animæ simul & corporis, in incorruptione S. Sancti. Inter qvos, qvæso, suscipiar hodie in conspectu Tuo tanqvam hostia pingvis & accepta, qvemadmodum præparasti, adimplens ea qvæ præmonstrasti Verax DEUS. *Qvamobrem de omnibus Te laude, Te benedico, Te glorifico, per Sempiternum Pontificem Jesum Christum, Unigenitum filium Tuum: per qvem Tibi, una cum Ipso in S. Sancto, Gloria nunc & in Secula seculorum. Amen.* EUSEB. *L. IV. H. E. Cap. XV.*

§. XXI. Devotis his precibus finitis, ministri rogum incenderunt. Sed ignis in flammam erumpens, fornicis instar & ceu velum navigii ventorum turgescens flatibus, Corpus Martyris obvallavit. Ille in medio consistens flammæ, carni non exustæ, sed auro vel argento in camino ignito jacenti æqvavit. Adhæc adeo fragrantem in circumstantes de se sparsit odorem, ut corpus ejus thure halante aut alio qvodam aromate pretioso delibutum putarent. Si Veterum perlustramus monumenta, paria reperimus exempla. Nam de Agnete & S. Julitta legimus, qvod nec illarum corpora in lignorum struem posita à flamma ignis fuerint læsa, sed splendore qvodam coruscarint. AMBROS. *Sermon. XC. de Passione Agnetis.* BASIL. *M. de S. Julitta.* BARON. *ad A. C.* CCLXXII. *n. 6.* Et in Lugdunensium Epistola, Gallicani Martyres adeo svavem spirasse dicuntur odorem, ut omnes thymiamata existimarint incensa. EUSEB. *Lib V. H. E. Cap. I.* CHRYSOSTOMUS sub calcem *Sermon. in Juventinum & Maximum. Tom.* III. *Oper.*

§. XXII. Postremo sceleratorum hominum cohors B. Polycarpi Corpus ab igne minime consumi posse videns, carnifici dedit in mandatis, accederet rogum & Martyrem ferro transfoderet. Qvo facto magna Cruoris copia effluxit, qvæ ignem

pror-

prorsus extinxit. Mortui corpus in cineres redegerunt Ethnici ne in Christianorum manus perveniret. Ossa tamen Martyris semiambusta gemmis pretiosissimis cariora & qvovis auro puriora collegerunt Christiani & Sepulchro honorificè intulerunt. CAVE *in Hist. Literar. p. m. 28.* Hinc S. Polycarpi monumentum hodie apud Smyrnæos conservari oculatus testis est THOMAS SMITH, Scriptor Anglus, in Epistolis suis de moribus ac institutis Turcarum, & qvidem undecima, qvæ de Septem Asiæ Ecclesiarum notitia agit, p. m. 165. Atqve tantum de Illustri hoc Martyrio ex Ipsa Smyrnensi Epistola dixisse sufficiat, cujus magnitudo qvidem nihil præterire patitur, multitudo verò qvam plurima cogit omittere. Qvæ in *Margarin. de la Bigne Biblioth. Patr. T.* III. p. 49. habetur ad Philippenses Epistola, an Germana sit B. Polycarpi, diligentes Antiqvitatis videant scrutatores. RIVET. *Crit. Sacr. L. II. Cap. III. pag. m. 199. Centuriator. Centur. II. Cap. X. p. m. 134.* DU PIN *Biblioth. Autor. Eccles. Tom. I. pag. m. 78.* PHOTIUS *Biblioth. Cod. CXXVI.*

CAP. II.
De
MARTYRIO
JUSTINI MARTYRIS. IRENAEI. ET BABYLAE.

§. I.

JUSTINUS Martyr καῖ ἐξοχὴν dictus ac cognomento Philosophus, omnium Patrum est Antiqvissimus, magni apud Veterum historias nominis, non solum propter insignem rerum Divinarum & Philosophiæ cognitionem, sed etiam propter Zelum illum, qvem luculentissimè & magna cum laude exeruit, cum mortem pro Christo fortiter oppetiit. DALLÆUS *de Usu Patrum Lib. II, Cap IV. p. m. 255.* Natalem habuit Neapolin Palæstinam, (qvæ antiqvitus Sichem & Sichar dicebatur, aliqvantò post Neapolis, Mabortha vel Mamortha, nec non Flavia Cæsarea est appellata, JOSEPHUS *Lib. V. de Bell. Judaic. Cap IV.* PLINIUS *Lib. V. Hist. Nat. Cap. XIII.* BÜNTING. *Itinerar. Scripturæ S. Part. I. p. m. 72. Part. II. p. m. 14.* Du PIN *Biblioth. T. I. p m. 92.* HORNEJUS *Compend. H. E.*

H. E. Lib. II. Cap. III. n. XIV.) Urbem non in celebrem, Parentem verò Priscum Bacchium origine Judæum: JUSTINUS *Apolog. II. pro Christianis.* EUSEBIUS *H. E. Lib. IV. Cap. XII.* CENTURIATOR. *Cent. II. Cap X p. m. 159.*

§. II. Divino prorsus ac singulari Dei nutu â Gentilitia superstitione, cui ab ineunte ætate vacaverat, ad fidem Christi est conversus. Invictam enim Martyrum in confessione & suppliciis constantiam cernens ac fortitudinem, collegit inde Christianos nec improbos adeo nec voluptati esse deditos: Dein â venerando qvodam sene sibi incognito admonitus, ut Prophetarum legeret scripta, qvi non demonstrationibus utantur in differendo, sed ipsius Dei nitantur testimoniis, Religionem Christianam est amplexus, qvam postmodum magno animi ardore atqve constantia defendit. *Dialog. cum Tryphone. Apolog. II. pro Christian.* SPIZELIUS *de felici literato p. m. 1006. 1082. & in pio literati hominis secessu p. m. 35.*

§. III. Fraudibus insidiisqve Crescentis, Philosophi Cynici, martyrii coronam reportavit, qvemadmodum in Altera pro Christianis Apologia prædixerat: *Et ego qvoqve expecto, ut*

 ab

ab aliqvo eorum; qvi Philosophi appellantur, insidiis appetar ac ligno suffigar: ab ipso forsitan Crescente τῷ ἀφιλοσόφῳ ϗ φιλοκόμπῳ. *Neqve enim Philosophi nomen meretur, qvi de rebus, qvas prorsus ignorat, publicè loqvi, & Christianos impios ac profanos affirmare non dubitat.* EUSEBIUS *H.E. Lib. IV. Cap. XVI.* Nam cum in Urbe Roma JUSTINUS haberet τὰς διατριβάς, & Crescentem Cynicum, qvi multum adversus Christianos blasphemabat, redargueret gulosum; & mortis timidum, luxuriæqve & libidinum Sectatorem, ad extremum studio Ejus & insidiis attractus, accusatusqve qvod Christianus esset, pro Christo sangvinem fudit. HIERONYM. *de Scriptorib. Ecclesiast. Cap. XXIII. & XXIX.*

§. IV. Supplicii autem Genus, qvô interierit B. Martyr, veteres ad Unum ferme omnes speciatim non definiunt. EUSEBIUS *Hist. Eccles. Lib. IV. C. XVI.* HIERONYM. *de Scriptorib. Eccles. Cap.* XXIII. GREGORIUS TURONENS. *Histor. Francor. Lib. I. Cap.* XXVIII. TATIANUS ASSYRIUS Justini Auditor *Lib. adversus Græcos,* martyrio saltem pro Christi nomine coronatum scri-

ſcribunt. Recentiores verò Scriptores, qvamplurimis eundem tormentis affectum, ſecuri tandem percuſſum perhibent. HORNEJUS *Compend. Hiſtor. Lib. II. Cap. IV.* MICRÆL. *Syntagm. Hiſtor. Sacr. Lib.* II. *Sect. I.* §. *XIX.* SPIZELIUS *Academ. J. C. p. m. 42.*

§. IV. Nec de Martyrii anno rerum geſtarum annaliumqve conſentiunt conditores: alii enim ad Antonini Pii, alii ad Antonini Veri, Imperatorum tempora illud collocant. Et licet in his nihil certi poſſit determinari, tamen probabilior illorum videtur ſententia, qvi B. Juſtinum in perſecutione qvinta ſub M. Antonino Philoſopho, ſeculo ſecundo media ſui parte jam lapſo, paſſum exiſtimant. Faſtorum Siculorum ſive Chronicorum Alexandrinorum Auctor, nec non BEDÆ, USUARDI, ADONIS, aliorumqve Martyrologia mortem B. Martyris pariter regnante Antonino Philoſopho, conſignarunt. Proinde EPIPHANIUS excuſari neqvit, qvi mira ἀνιστορησία *hæreſ.* XLVI. B. Juſtinum ſub Hadriano ſangvinem fuiſſe ſcribit.

§. V. Accedimus nunc ad Martyrium IRENAEI, qvod tanto ſplendidius eſt, qvanto plures Chriſtianorum cum ipſo ſunt occiſi. De Patria ac Parentibus illius omnia prorſus ſunt incerta, & nulli-

nullius ex Antiqvis Doctoribus Historia majori laborat defectu, qvam Irenæi. ERASMUS ROTERODAMUS accuratissimus alias Scriptorum Veterum censor Patribus Latinis Eundem accenset: & OECUMENIUS vocat Gallum *in Cap.* III. *Epistol. posterior. Petri*, qvi tamen non Natale solum Irenæi, verum functionem illius in Gallia respicere videtur: sed cum nomen præ se ferat Græcum & reliqviæ scriptorum ejus habeantur Græcè, inter Græcos Veteris Ecclesiæ Doctores communiter solet recenseri: HIERONYM. *de Scriptorib. Eccles. Cap.* LIII. *& in Cap.* XXXV. *Esaiæ.* CENTURIATOR. *Centur. II. Cap. X. p. m. 172.* CHAMIER. *Panstrat. Tom.* II. *Lib.* XIII. *Cap.* XXII. §. XVIII. *&* XXII. Du PIN *Biblioth. Autor. Eccles. Tom. I. p. m. 107.*

§. VI. Præceptorem habuit in tenera ætate, D. Polycarpum, cujus doctrinam & qvæcunqve protulerit, adeo firmiter memoriæ impressit, ut in Epistola ad Florinum perscripta, qvæ apud EUSEBIUM *Lib. V. H. E. Cap. XX.* habetur, referat, voces defuncti Præceptoris sibi in auribus perpetuo sonare, illiusqve imaginem oculis adhuc obversari. Testem adduco insuper THEODORETUM, qvi *Dialog. I. contra hæres.* scribit: *Inaudisti*

disti etiam de Irenæo, qui Polycarpi fruitus est disciplina & Gallorum occidentalium Lumen fuit. Cum pietatis verò studio cognitionem qvoqve Philosophiæ conjunxit, unde omnium doctrinarum accuratissimus Explorator â TERTULLIANO vocatur, *Cap. V. advers. Valentin.*

§. VII. Mortuo Photino, Lugdunensis Ecclesiæ Episcopatum est adeptus: atqve ut Provinciam, qvam nactus erat, rite ornaret, nec ullis laboribus nec proprio sangvine pepercit. Satius enim duxit pro Gloria Dei & fidei Veritate acerrime decertare, vitamqve temporalem prius amittere, qvam in hæreticorum favorem ac gratiam connivere, & æternæ salutis facere jacturam. Idcirco hæreticos verbo & scriptis refutavit: in Unione Ecclesiarum resarcienda, præsertim in componenda Paschali controversia, plurimum laboravit: eoqve nomine Victorem Romanum Pontificem Ecclesiis Asiaticis anathema parantem, coacta Episcoporum Gallicanorum Synodo, per literas pacifice admonuit & renitentem acriter objurgavit. Nam hic Princeps Veritatis testis primus fastui Anti-Christiano mascule se opponere est ausus. DANHAUER. *Act. I. Christeid. p. m. 313.* CROCIUS

E *Anti-*

Anti-Becan. Part. II. p. m. 862. EUSEBIUS *H. E. Lib. V. Cap* XX. XXIII. XXIV. Du PIN *Biblioth. Autor. Eccles. Tom. I. p. m. 108.* CAVE HISTOR. *Liter. p. m. 40.*

§. VIII. Martyr evasit Magnus Ecclesiæ Propugnator ac pro sui Nominis augurio Pacis Ecclesiasticæ Vindex S. Irenæus in Persecutione sexta, qvam Septimius Severus excitavit, A. C. CCIV. vel juxta Baronium CCV. cum Episcopatum Lugdunensem per qvinqve ferme lustra tenuisset. CENTURIATOR. *Centur.* II. *Cap.* XI. *p. m.* 175. FRECULF. *Tom.* II. *Lib.* II. *Cap.* XXII. BARON. *Tom. I. Annal. ad* A. C. CCV. SCÆVOLA & LUDOVIC. SANMARTHANI *in Gall. Christian. Tom. I. fol. 291.* Imperator qvippe Severus superstitioni Gentilitiæ admodum deditus, immani in singulos Christianos odio ac sævitia cœpit sævire, & præsertim in illorum Doctores omnem effudit furorem. Hinc Lugduni tanto numero Christiani sunt interfecti, ut eorum sangvis omnibus vicis flueret. GREGORIUS TURONENS. *Hist. Francor. Lib. I. Cap XXVII.* Cumqve ibidem munere Episcopali defungeretur B. Irenæus, una cum Grege sibi à Christo credito, sangvinolentis Severi manibus occubuit.

§. IX. Qvo

§. IX. Qvo autem genere mortis vitam finierit S. Martyr, dissentiunt Scriptores. Græci in Menologio Eum post varia tormenta gladio tandem sublatum, diserte affirmant. SYMPHORIANUS CHAMPERIUS, vel CAMPEGIUS, Lugdunensis Medicus, cujus vitam & scripta nobis exhibet JOH. ANTON. VAN DER LINDEN *Lib. I. de Scriptor. Medicis*, locum qvoqve addit, in qvo capite truncatus, nempe collem Forjulianum. Auctor vero Libri de ætatibus Mundi, in ætate VI. fol. m. 116. Crucis supplicium eundem subiisse refert. IRENÆUS, scribit, *Lugdunensis Episcopus, Vir doctissimus, jam grandævus, apud eandem Urbem pro Christi nomine Martyr efficitur*. Et paulo post hæc subnectit: *Demum vero sæviente hac persecutione, à Severo positus inter duo scolles, cum in uno crucem, in alio Idolum posuisset ut mortem per crucem, vel vitam per Idolum eligeret, cum populo tamen ad crucem venit, & omnes Martyvio coronati sunt*, IV. Kl. Junii.

§. X. Alii contra Autores martyrii genus prorsus omittunt. Sic GREGORIUS TURONEN-

NENSIS *Lib. I. Histor. Francor. Cap. XXIX* illum tantum martyrio decoratum dicit, martyrii genere non addito: *Beatum Irenæum, diversis in sua carnifex præsentia pœnis affectum, Christo Domino per Martyrium dedicavit.* Similiter ADO *in Martyrolog.* IV. Kl. Julii. *Apud Lugdunum Galliæ S. Irenæus Episcopus, in locum B. Photini prope nonagenarii ob Christi martyrium coronati, successit. Quem etiam constat Beatissimi Polycarpi Sacerdotis & Martyris fuisse Discipulum, & Apostolicorum temporum vicinum. Postea vero persecutione Severi cum omni ferè civitatis suæ populo gloriosè coronatur martyrio.* Eadem ferme habet MARTYROLOGIUM ROMANUM IV. Kl. Julii. Vetustissimus Codex MSC. Ecclesiæ Lugdunensis apud SEVERTIUM hæc suppeditat: *Cum tempore Gentilitatis persecutio Severi Imperatoris in dicta Lugdunensi Civitate insaniendo debacharetur,*

ac

ac interfectis ibi decem & novem virorum millibus, exceptis parvulis & mulieribus, longo atqve gloriosissimo coronatus martyrio, tandem hostia CHRISTO factus est. Sepultus â Zacharia Presbytero in crypta Basilicæ B. Johannis Evangelistæ sub altari - - - cui corpori ab Uno latere Epodius, ab altero Alexander est tumulatus. Plura videri possunt apud FRANCISCUM FEVARDENTIUM in Apparatu Operum Irenæi Parisiis Anno M. DC. XXXIX. edito.

§. XI. Sunt nonnulli qvi asserere minimè dubitant, Irenæum fuisse Angelum illum sive Episcopum Ecclesiæ Thyatirensis, cujus mentionem Johannis Theologus in Divinæ Apocalypseos Cap. II. commate XVIII. injecit. ANTIOCHUS BRONDUS CALARITANUS, *Permulti*, diserte scribit, *Apocalypseos expositores Martyrem Irenæum Ecclesiæ Thyatirensis Episcopum fuisse existimant tempore, qvo Apostolus & Evangelista Johannes hæc*

Apocalypſeos ſcribebat myſteria. Comment in II. Cap. Apocalypſ. Diſput. XVII. quæſt. II. Ad verba igitur illa, Apocalypſeos Johanneæ: *Et Angelo Thyatiræ;* præclare admodum NICOLAUS LYRANUS annotavit: *Qvi ab aliqvibus dicitur fuiſſe S. Irenæus, qvi non ſolum iſtam Eccleſiam ſed & multas alias vita & doctrina illuſtravit --- Sed hoc non videtur probabiliter dictum, qvia non fuit contemporaneus B. Johanni, qvi videtur ſcribere de Epiſcopis ſibi contemporaneis.* Commentar. in Apocalypſ. Cap. II.

§. XII. Neqve veritati conſentire videntur, qvæ in *compendioſa S. Scripturæ dilucidatione* PETRUS AUREOLUS ſcribit: *Sciendum eſt, qvod Irenæus fuit primò Epiſcopus Thyatiræ. Licet autem iſte non fuerit Johanni contemporaneus, in Spiritu tamen Prophetico loqvitur de iſto; qvia exceſſit omnes Epiſcopos Eccleſiæ Thyatiræ.*

Hanc

Hanc vero suam opinionem nullo vel Patrum vel alicujus autoritatis Scriptorum testimonio, dedit confirmatum: ideoqve eadem, qvâ adstruitur, levitate refellitur. Majori forsan fide per Angelum Smyrnæ *Apocalyps. II. comm VIII.* intelligi potest S. Polycarpus, qvi cum ipsis Apostolis conversatus ab iis Ecclesiæ Smyrnensis Episcopus dicitur consecratus. Nullus enim tum temporis Smyrnæ fuit Sanctitate clarior Polycarpo, qvem proinde Hieronymus facile totius Asiæ Principem appellavit. In cæteris Episcopis maculam aliqvam S. Johannes observavit, in Angelo Smyrnæ nullam, sed magnas potius multasqve illius virtutis commendavit. Ideo LYRANUS ad illa verba: *Et Angelo Smyrnæ:* indubitanter asserit: *Iste fuit S. Polycarpus, secundum Doctores communiter. Comment. in Apocal. Cap. II.* PAMELIUS *in Not. ad Tertullian. de Præscript. Cap. XXXII. num. CXXCV.* IRENÆUS *Lib. V. Cap. XXX.* JOH. HENICHIUS *in Histor. Ecclesiast. Part. I. Secul. I. Cap. III. p. m. 101.*

§. XIII. Pro veritate tuenda ad mortem usqve decertavit qvoqve BABYLAS Episcopus Antiochenus, qvi fervente Persecutione Deciana A. C. circi-

circiter CCLI. In vinculis ferreis, qvibus cum & sepeliri voluit, gloriosum vitæ finem est sortitus, postqvam Episcopali dignitate per duodecim, vel juxta alios, tredecim annos egregiè admodum fuerit defunctus. BUCHOLCER. *Indic. Chronolog. p. m. 175.* HOTTING. *Hist. Ecclesiast. Part. I. p. m. 123.* SOFFINGS *Histor. Pentesecular. Secul. III. p. m. 35.* MARTYROLOG. ROMAN. *IX. Calend. Februar.* HIERONYMUS *Scriptorib. Ecclesiast. Cap. LIV. in Origine, & LXII. in Alexandro.* EUSEB. *Hist. Ecclesiast. Lib. VI. Cap.* XXXIX.

§. XIV. Nonagesimum ætatis agens annum martyrium complevit. Nam Imperatorem, Antiochiæ degentem, aditu templi arcuit, nec ad sacra Christianorum spectanda admittere voluit, qvod Regis cujusdam filium obsidem crudeliter occiderat: Non licere, inqviens, more & Idolorum sacrificiis polluto tam præcipitanter domum DEI ingredi & divina mysteria contaminatis oculis spectare. Vel ut SVIDAS *in voce* Βαβυλ. *p. 170.* scribit: Se non passurum ut Lupus ovile Domini ingrederetur. Atqve ita mortem sibi conscivit, Imperator qvippe ægrè admodum ferens repulsionem Episcopi, metu tamen multitudinis Christianorum, qvi congregati ibidem erant, seu alia qvâ de

de causa, discessit qvidem, sed in Regiam reversus Babylam accersiri jussit, illumqve ob crimen læsæ Majestatis vehementer reprehendit, nec iram suam ex delicti hujus gravitate conceptam placari posse, nisi Diis sacrificaret. CHRYSOSTOM. *Sermon. de Babyla.* CENTURIATOR. *Centur. III. Cap.* XII. *p. m.* 214.

§. XV. Verum Episcopus post defensionem facti sui respondit Imperatori: Se Idolis neqvaqvam sacrificia oblaturum, neqve etiam Pastorem ulla ratione Ovile negligere potuisse, & mirari qvod nunc ab Omnipotente Deo defecturum & falsis Numinibus divinum cultum speraret exhibiturum. Hinc Decius ipsum in vincula & carcerem conjici, caput ejus amputari, imperavit. Hilari autem vultu hanc excepit sententiam S. Babylas & læto animo extremum vitæ suæ diem expectavit.

§. XVI. Proinde cum Venerandus Senex constituta supplicii die ad mortem traheretur, senectaqve illius membra duris vincta catenis, premerentur, ipse totus velut in gaudia solutus dulce melos canere cœpit, suasqve exeqvias eodem decoravit: *Revertere anima mea in*

reqviem: Qvia Dominus benefecit tibi: Qvia eripuit animam meam de Morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu. Ambulabo coram Domino in terra vivorum. Et jam jam moriturus, rogavit: *Nolite me sepeliri sine catenis istis, ne mihi in postrema die carendum sit ornamentis meis.* Imo MARTYROLOGIUM ROMANUM IX *Calend. Januar.* cum B. Babyla tres pueros, URBANUM, PRILIDIANUM & EPOLONIUM, qvos in fide Christiana instituerat, refert occisos: Ideoqve S. Episcopum à carnifice petiisse, ut tres filii sui primo loco coram oculis suis occiderentur, ne post mortem suam à gentibus persvasione inducti forsitan à Christianismo abducerentur. Qvibus vero occisis & Ipse imperterrito animo collum carnifici feriendum præbuit, dicens: *Ecce Ego & pueri mei qvos dedit mihi Dominus.* Sicqve doctrinam de Christo sangvine suo obsignavit. DRESSER. *Isagog. Hist. Millenar. V. p. m. 205.* Feruntqvoqve, cum Julianus Apollinem Daphneum Antiochiæ consuleret, obstitisse Ora-

cu-

culo Offa & catenas Babylæ ibi locorum fepulti: remotis autem hifce, tum demum refpondiffe dæmonium. CHRYSOSTOMUS fidem hiftoriæ conciliare confentit ex teftimonio Senum Juvenumqve, qvi tanqvam teftes idonei affeverafsent *Sermon. IX. in Epiftol. ad Ephefios. Homil. IV. de laudib. Pauli.* Cæterum ut non negamus Deum pofle per contempta media Diabolum confundere, & folere etiam interdum, occafione & necesfitate ita efflagitante: Ita non raro fit, ut verfipellis Dæmon fimulet fugam, vel dolorem aliqvem, ut in fuperftitionem credulos vel inducat, vel confirmet: BEBELIUS *Hiftor. Trifecul. Secul.* III. *Articul.* II. *Sect.* II. §. XVIII. *p. m.* 584. SOZOMEN. *Hiftor. Ecclefiaft. Lib. V. Cap.* XVIII. XIX. THEODORET. *Hiftor. Ecclefiæ Lib.* III. *Cap.* XXI. Duos autem fuiffe Babylas, qvorum alterum fub Numeriano paffum fcribit: NICEPHORUS *Lib.* VI. *Cap.* XXXIII. *&* *Lib.* X. *Cap.* XXIX. nititur contra veritatem: ex fucceffione enim Epifcoporum Antiochenorum difpalefcit, nullum Epifcopum, cui Babylæ effet nomen, tempore Numeriani, Ecclefiæ præfuiffe Antiochenæ.

CAP. III.
ET ULTIMUM
De
MARTYRIO
CYPRIANI ET LAURENTII.

§. I.

QVæ Universarum Africæ Urbium extitit qvondam Princeps Carthago, eidem illustre qvoqve Ecclesiæ Africanæ Sidus, THASCIUS CAECILIUS CYPRIANUS, ortum suum debet atqve Originem, qvi antiqvam Patriæ Gloriam propriis Virtutibus tantopere evexit in majus, ut qvemadmodum de illa silere satius duxit SALLUSTIUS *in Bello Jugurthino pag. m. 63.* qvam parum dicere, ita nec hujus laudes omnino conseqvi posse, Hipponensium Præsul *Lib. II. contra Crescon. Cap.* XXXI. existimarit. Illarum qvippe Virtutum, qvibus coruscarit, splendor intra Patrios limites minime substitit, sed omnes propemodum Mundi Plagas radiis suis collustravit. NAZIANZ. *Orat.* XXIX. *in laud. ejus.*

§. II. Qvi-

§. II. Qvibus natus fuerit Parentibus Historiarum silent monumenta, nec ulla apud ipsum Cyprianum de iisdem habentur vestigia. Gentilium adhuc addictus superstitioni in Corona Carthagine Oratoriam docuisse testis est HIERONYM. *de Scriptorib. Eccles. Cap.* LXVII. Hinc LACTANTIUS de eo scribit: *Magnam sibi Gloriam ex Artis Oratoriæ Professione qvæsivit, & admodum multa conscripsit in suo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioso & svavi, & (qvæ Sermonis maxima est virtus) aperto: ut discernere neqveas, utrum ornatior in eloqvendo, an facilior in explicando, an potentior in persvadendo fuerit. Lib. V. Divinar. Institution. Cap. I.* Et SIXTUS SENENSIS: *Cyprianus ante susceptam fidem gloriose Rhetoricam docuit. Multa piissima opuscula elegantissimæ Phraseos & Ciceroniano candori proximæ ad ædificationem Ec-*

 cle-

clesiæ scripsit. In qvibus, ut HIERONYMUS *ad Paulinum* scribens, ait, *instar fontis purissimi lenis incessit & placidus. Lib. IV. Biblioth. p. m. 275.*

§. III. Ad fidem Christianam à Presbytero qvodam nomine Cæcilio, cujus postea cognomen assumpsit, occasione lectionis Jonæ Prophetæ est conversus. HIERONYM. *Comment. in Cap. IV. Jonæ Tom. VI. Oper.* Magnum igitur propagandæ veritatis ardorem cum in eo animadverterent Carthaginenses, Presbyter primò est constitutus, nec multo post, Donato Episcopo Carthaginensi defuncto, in Ejus locum, Clero & Universo Carthaginensi populo suffragantibus, electus Episcopus. CENTURIATOR. *Centur. III. Cap. X. p. m. 170.* SCULTET. *Medull. Patr. Lib. VIII. Cap. I p. m. 282.* MICRÆL. *Syntagm. Histor. Sacr. Lib. II. Sect. I. p. m 243.* Atqve in gravissimis istis officiis ita se gessit, ut propter insignes, qvas sororio qvasi nexu conjunctas habuit & excoluit, virtutes, Modestiam scilicet & Humilitatem, Caritatem erga Proximum, Magnitudinem animi, fidelitatem deniqve summam, Omnium gratiam amorem-

qve

qve ſibi conciliarit. Sed de his Aſiaticè in præſenti agere non eſt noſtri inſtituti, ideoqve ad GREGORIUM NAZIANZENUM, PONTIUM DIACONUM, PAMELIUM & alios, qvi totius vitæ curſum B. Martyris literis mandarunt, provocamus.

§. IV. Primus omnium Epiſcoporum Carthaginenſium ſangvine muneri ſuo coronidem impoſuit. Nam qvod fideles ſuos ad perſeverantiam in fide hortaretur, variam inde expertus eſt fortunam, qvam tamen ferendo ſemper ſuperavit, nec illum æſtimavit infelicem, qvi Deum in corde haberet. Concitaverat qvippe eo ipſo Ethnicorum odium in ſe tantopere B. Cyprianus, ut vitæ ejus ceu Prædæ inhiarent, nec exacerbatos animos prius putarent ſedatos, qvam ipſo è vivis ſublato. Hinc aliqvoties ſolum vertere, plus ſimplici vice Patrios lingvere Lares, in abdyta ſecedere & crypta qværere coactus cruentas hoſtium ſuorum manus effugere tandem neqvivit, ſed Purpureus è Statione ſua diſceſſit.

§. V. Incidit autem D. Martyris tranſitus ex hac miſeriarum valle ad meliorem vitam in

Per-

Persecutionem Nonam à LICINIO VALERIANO agitatam A. C. CCLVIII. vel ut alii volunt CCLXI. qvâ prope Urbem Carthaginem in loco qvodam Sexti appellato, Caput ipsi est amputatum. SPANHEM. *Histor. Sacr. T. I. p. m.* 324. ARNDIUS *Lex. Anqvitat. Ecclesiast. p. m* 912. GESSELIUS *Hist. Eccles. T. I. p. m.* 326. SPIZEL. *Academ. J. C. pag. m.* 63. CENTURIATOR. *Centur. III. Cap. X. p. m.* 175. DU PIN *Biblioth. Autor. Eccles. p. m.* 235. Digna sunt notatu qvæ circa ultima Ejus contigere, ex qvibus facillimè licet colligere, qvam constanter fidem Jesu Christi coram hostibus fuerit professus. Polycarpum *Cap. I.* §. XVII. Pro-Consuli Asiæ Statio Qvadrato bestias ignemqve minitanti diximus respondisse: *Qvid cessas? profer qvodcunqve volueris?* Idem in Martyrio S. Cypriani observamus. Nam & is Pro-Consuli Carthaginensi Galerio Maximo, ad ἀποστασίαν ipsum sollicitanti, hanc dedit responsionem: *Fac qvod Tibi præceptum est; In re tam justa nulla est consultatio.* Præterea cum Pro-Consul sententiam diceret: *Thascium Cyprianum Gladio animadverti pla-*

placet. S. Martyr ad preces se convertit dicens: *Gratias ago Deo Omnipotenti, qvi me à vinculis hujus Corporis dignatur absolvere.* KORTHOLT. *de Persecut. Cap. IX. p. m. 401. sq.* SAGITTARIUS *de Cruciatib. Martyr. Cap. III. p. m. 36. Cap. VI. pag. 67.* Eleganter igitur AUGUSTINUS scribit: *Si dixit sententiam Pro-Consul in Cyprianum, alia est Sella terrena, aliud tribunal Cœlorum. Ab inferiore accipit sententiam, à Superiore Coronam. Enarrat. in Ps. XXXVI. Conc. III.*

§. VI. Discrimen deniqve probe notandum, ne Sanctissimus Carthaginensium Præsul Cyprianus cum aliis ὁμωνύμοις confundatur. Longe enim diversus est â Cypriano illo Antiocheno & Nicomediensi Martyre, qvi una cum Justina passus est sub Diocletiano. Distinctus qvoqve ab aliis Cyprianis, Unizibirensi Antistite & Martyre, nec non Pictaviensi, qvem Cives die XIII. Julii festo colunt, & ab Abbate Petragonico, cujus Beda Venerabilis & Usuardus in Martyrologiis D. IX. Decembr. fecerunt mentionem.

PHOTIUS *Biblioth. Cod. CXXCIV.* BEBEL. *Histor. Trisecul. Secul. III. Articul. I. p. m. 493.* GALLONIUS *de Cruciatib. Martyr. Cap. IX. p. m. 506 ss.* Et tantum de Martyrio Cypriani. Reliqva ejus fama narrabit, sine dubia minora verò nuntiatura. Nam nihil qvod addere possit, inveniet.

§. VII. Eadem qvoqve Persecutione Coronam Martyrii B. LAURENTIUS accepit, Sixti Episcopi Romani, (qvem pariter sævitia Valeriana absorbuit) Diaconus. Qvi cum videret Sixtum Episcopum suum ad Martyrium duci, lacrymas fundere, nec illius passionem sed suam remansionem dolere cœpit. Itaqve his luctuosis verbis eundem allocutus fertur: *Qvo progrederis sine Filio Pater? Qvo Sacerdos Sancte sine Diacono properas? Nunqvam sacrificium sine Ministro offerre consveveras? Qvid in me ergo displicuit Pater? Cur consortium sangvinis Tui mihi negas. Abraham filium obtulit: Petrus Stephanum præmisit. Et Tu,*

Pa-

Pater, ostende in filio Virtutem tuam; Offer qvem erudisti, ut securus judicii comitatu nobili pervenias ad coronam. Cujus tamen flebili voci medicinam fecit Sistus Episcopus mitium Verborum fomentis: *Non ego Te, Fili, relinqvo ac desero: sed majora tibi debentur certamina. Mox venies, flere desine, post triduum me seqveris.* AMBROSIUS *Lib. I. Offic. Cap.* XLI, AUGUSTIN. *Tract. XXVII. in Johann. Sermon. III. de Sanct.*

§. VIII. Respondit Sixti verbis exitus Laurentii. Nam qvod primus esset Diaconorum atqve thesauros Ecclesiæ custodiret, pauperibusqve erogaret, Præfectus ab eo postulavit, ut thesauros istos sacros ab Episcopo sibi concreditos traderet Imperatori. Tridui spatium ad eos colligendos petiit Laurentius, interea omnes mendicos, pauperes ac ægrotos convocavit, illosqve constituta post triduum hora, Præfecto Urbis auro & argento inhianti ostendit, dicens: *Hi sunt Ecclesiæ thesauri: qvibus si*

qvid detur, non perit, ſed cum ampliſſimo fœnore in cœlo redditur. CENTURIATOR. *Centur.* III. *Cap.* XII. *p.m. 208.* PAPPUS *Hiſtor. Eccleſiaſt. p.m. 127.*

§. IX. Spes igitur inſatiabilem auri famem explendi poſtqvam decollaſſet, Præfectus in rabiem verſus B. Laurentium graviſſimis affectum tormentis craticulæ impoſuit & lento igne ceſſavit: GALLONIUS *de Cruciatib. Martyr. Cap. VII. p. m. 319.* MARTYROLOG. ROMAN. *D. X. Auguſt.* BECKIUS *Martyrolog. p.m. 63. 128.* Qvam invicto autem animi robore illos cruciatus perpeſſus fuerit Sanctus Martyr ſufficienter verbis neqvit exponi. Ipſe enim in craticula jacens, ſumma cum alacritate gloriabatur, ſe non torreri: ſed ſvaviter carbonibus iſtis refrigerari: Imo aduſto latere Tyrannum inclamavit: *Aſſum eſt, verte & manduca.* AMBROSIUS *Lib. II. Offic. C. XXVIII.* GREGORIUS TURONENS. *Lib. I. Cap.* XXX. PRUDENTIUS *περὶ στεφ. hymn.* II. *de B. Laurentio.* Atqve ita animi virtute ignis vicit naturam B. Laurentius, cujus aſſatura ſvaviter in tota

CHRI-

CHRISTI fragrat Ecclesia. RUPERTUS TUITIENS. *Lib.* VIII. *de Divin. Offic. Cap. X.*

§. X. Non alienum videbitur simile exemplum qvod sub Juliano Apostata contigit, hic apponere. MACEDONIUS qvippe, THEODULUS ac TATIANUS, Diis sacrificare nolentes, ab AMACHIO, Phrygiæ Præside, omni tormentorum genere & crudelissimis cruciatibus vexati, craticulæ deniqve impositi pariter generosum hoc fortitudinis edidere documentum, ut ita Præfectum sint allocuti: *Si cupis, Amachi, carnes assas degustare, verte nos in alterum latus, ne forte gustui tuo semiassati videamur.* SOCRATES *H. E. Lib.* III. *Cap.* XIII. SOZOMEN. *H. E. Lib. V. Cap. XI.*

§. XI. Ossa B. Laurentii in Via Tiburtina in Crypta in Agro Verano recondita dicit BARONIUS *Tom. I. Annnal. ad A. C.* CCLXI. *num.* IX. ejusqve memoria multis SS. PATRUM sermonibus, nec non AURELII PRUDENTII carmine, est concelebrata. De Sangvine B. Laurentii mira prorsus PAULUS ARINGHUS,

in *Roma Subterran. noviss.* Lib. I. *Cap.* XXVIII. *num.* X. & XI. *p. m.* 96. *ss.* refert. Ita autem ibidem scribit: *In Ecclesia cujusdam Campaniæ Urbis (quæ S.* Laurentzen *vocatur) adhuc hodie aliqvid de Sangvine B. Laurentii in vitro asservatur. Hic sangvis pingvedine commistus qvotannis die X. August. (qvô scilicet Laurentius assatus) mollescit, & per octiduum â pingvedine alienus in superiore vitri parte permanet ac igni qvasi impositus coqvit. Finito deinde octiduo cum pingvedine denuò commistus durescit. Hæc Paulus V. Pontifex Romanus audiens, aliqvot guttulas de hoc sangvine B. Martyris in aliud vitrum infundi, Romam transferri, atq; in Sacrarium M. Basilicæ B. V. Mariæ inter cæteras Sanctorum reliqvias poni* *cura-*

curavit ac custodiri. Sed an veritati hæc conveniant Uniuscujusvis judicio relinqvimus, Fides saltem penes Autorem.

Atqve ita coronidem huic Dissertationi imponimus, nos & Studia nostra omnium Favori ac Benevolentiæ, qvorum oculis exilis hic labor subjicitur, de meliori commendamus.

O. A. D. G.

